



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 54. Lutheri agitatio ab hæc dissidia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)



## §. LIV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1527.*Lutheri agitatio ob hæc diffidia.*

Ferventibus Sacramentariorum diffidiis illi, qui se *reformatos* dicebant, nulla communis causæ ratione habita se invicem acriori bello, quam ipsam Ecclesiam proscindebant, quantumvis specietenus quandoque uniti viderentur. Inde vero haud parum deprimebatur Lutheri auctoritas, quam tamen apud illos, qui sub illius auspiciis præensam reformationem amplectebantur, conservare omni ope & opera contendebat; quapropter tanto opprimebatur dolore, ut etiam verborum arrogantia, qua exterius contra eos tumultuabatur, minime animi sui agitationem sedare posset, quinimo quo ferocius furiis impotentibus debacchabatur, eo minus tolerandum ipsi videbatur, quod nominis sui gloria ab ea etiam factione vilipenderetur, cuius unicum tamen caput ipse solus haberi ambiebat. Præterea doloris, quem inde concipiebat, acerbitas ad ipsum quoque Melanchtonem sese extendebat, *Lutherus*, inquit ille, *horrendas mihi causas perturbationes ob prolixas querelas de suis afflictionibus; dejectus est, & deformatus per scripta non contemnenda. Compassio, & afflictiones Ecclesie extreme me affligunt;*

Melanchton  
l. 4. ep 76. ad  
Camerarium



Sæcul. XVI  
A.C. 1527.

gunt; vulgus incertum in partes secedit; nisi Deus perpetuo se Ecclesie adfuturum promississet, ejus ruinam veteres ob dissensiones timerem; nimis enim certum est illud: disputando veritas amittitur.

## §. LV.

*Monstrum Ubiquitatis a Luthero  
productum.*

Bossuet l. cit.  
p. 105.  
Florim. Ray.  
de orig. hæc.  
l. 2. c. 14.  
G. Callisti  
judic. &  
Rayn. ann.  
1527. n. 55.

Interim Lutherus nimio disputandi æstu abreptus in alium incidit errorem; docebat enim, *Corpus Christi Domini, æque ac ejus Divinitatem esse ubique.* Hac vero ratione absonam hancce doctrinam fulcire conabatur: *Humanitas Christi Domini est unita Divinitati, ergo humanitas est ubique sicut ejus Divinitas. Humanitas Christi est ad dexteram Dei, quæ est ubique, ergo etiam humanitas est ubique, atque ita Christus Dominus homo ubique est: in cælo fuit, antequam descenderet: in tumulo, antequam sepeliretur, eo etiam tempore, quando Angeli dixerunt: Non est hic.* In errorem adeo enormem prolapsus est Lutherus, postquam sese Zwinglianorum doctrinæ non minus falsæ opponere nitebatur. Aferebant enim illi, *quod ne divina quidem potentia Corpus Christi in duobus locis poni possit*, eo autem errore præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia evertebant. Nec deerant tamen Lutheri discipu-